



B. DE HERDT

—  
P R A X I S  
C A P I T U L A R I S

BX1939

.C6

1895

c.1

007667



EX LIBRIS  
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ  
Episcopi Leonensis



PRAXIS CAPITULARIS.



# PRAXIS CAPITULARIS

SIVE

## TRACTATUS

DE OMNIBUS ET SINGULIS, QUÆ  
CAPITULUM ECCLESIE CATHEDRALIS ET METROPOLITANÆ  
CONCERNUNT

AUCTORE

**P. J. B. DE HERDT**

ECCLESIE METROPOLITANÆ MECHLINIENSIS CANONICO  
SACRÆ LITURGIE ACADEMIÆ ROMANÆ CENSORE.

**EDITIO SECUNDA.**



UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON  
Biblioteca Valverde y Tellez

LOVANI

EXCUDEBAT JOSEPHUS VAN LINTHOUT  
universitatis catholicæ typographus.

1895.



*Capilla Alfonsina  
Biblioteca Universitaria*

44439

*L'auteur se réserve la propriété et la traduction.*



FONDO EMETERIO  
VALVERDE Y TELLEZ



## VICTOR AUGUSTUS ISIDORUS

Tituli s. Bernardi in Thermis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis  
DECHAMPS, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Mechliniensis,  
Primas Belgii.

Operi cui titulus : *Praxis capitularis* a Ven. Domino  
P. J. B. DE HERDT, Ecclesiæ Nostræ Metropolitanæ canonico,  
studioso labore composito, approbationem libenter concedimus.

Datum Mechliniæ, 8 Novembris 1881.

V. A. Cardinalis Arch. Mechl.

APPROBATIO SECUNDÆ EDITIONIS.

REIMPRIMATUR.

Mechliniæ, 4 Octobris 1894.

P. C. C. BOGAERTS. *Vic. Gen.*

007867

LITTERÆ EMINENTISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI  
CARDINALIS BARTOLINI S. R. C. PRÆFECTI.

« Rme Domine,

Quod nuper edidisti opus, cui titulus « PRAXIS CAPITULARIS » eo plane præstat doctrinæ pretio, ut amplissimam nostram approbationem ac laudem merito sibi vindicet. Tibi autem per præsentis litteras gratulamur, quippe aliis operibus a te solerti studio elucubratis, quibus liturgicæ scientiæ thesaurus auctus est, novum istud nunc superadditur. Quæstiones porro omnes ad ejusmodi materiam pertinentes in eo perlucide exponuntur, tuto docentur, ac breviter traduntur, et, quod tui eximii ingenii equidem proprium est, una cum perspicuo ac recto disceptationis ordine. Quapropter hoc tibi volumus nostri animi præbere testimonium, confisi fore ut hujusmodi præclarum opus ubivis evulgetur, atque in usum traducatur.

Et diu bene valeas.

Romæ die 18 Aprilis 1882.

Tui studiosus

D. CARDINALIS BARTOLINUS S. R. C. Præfectus.

Rmo Domino

P. J. B. DE HERDT, Canonico  
Metropolitanæ Ecclesiæ Mechlinien.

Plac. Ralli S. R. C. Secrius. »

RATIO OPERIS.

Mirabilis est divinæ providentiæ dispositio, *cui cura est de omnibus, et quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.*

Quod hæc ipsa providentia circa hunc tractatum perfecisse, humiliter credo; et in ejus laudem hoc ingenue enarrare et explicare, mihi indulgendum erit.

Praxi Pontificali absoluta, mihi nec animus nec voluntas erat alia opera incipiendi. Divina autem providentia aliter disponebat, et tam *fortiter*, ut hoc præsens opus inchoare omnino coactus fuerim.

Tot enim tantæque difficultates mihi occurrerunt, ut pacem et solitam tranquillitatem turbarent et eriperent. Cum istæ autem difficultates quemdam ad hujus tractatus materiam respectum haberent, sensim in animum induxerunt, hoc opus aggrediendum esse, et hanc esse Dei voluntatem. *Sola vexatio intellectum dabit.*

Decisio erat difficilis: me incapacem sciebam. At si Deus velit, ipse providebit et perficiet.

Labori igitur me accinxi. Et mirum! Providentia quæ *attingit a fine usque ad finem fortiter*, etiam disposuit *omnia suaviter*. Quam primum inceperam, cessarunt difficultates et angustiae.

Laborare tamen, studere et inquirere debui, nullique peperci labori, ut pro viribus opus saltem bonum et utile producerem.

Labor mihi, utilitas proximo, gloria Deo.

Sincere interim profiteor, me recto animo ac bona fide totum opus composuisse : si tamen contra mentem vel in aliquo ab Ecclesiae legibus aberraverim, supremo Sedis Apostolicæ iudicio me meaque scripta humiliter subjicio.

## NOTIO HISTORICA.

Una omnium doctorum virorum hac de re scribentium sententia est, ordinem canonicorum regulariter viventium, primum ab Apostolis esse institutum (1). Adeo ut a primis nascentis Ecclesiae incunabulis clericorum extiterint congregationes, veram collegiorum ecclesiasticorum speciem præ se ferentes, in quibus et clerici et diaconi et presbyteri unum cum Episcopo corpus constituebant (2). Crescente numero clericorum, Episcopi quosdam e clero seligere cœperunt, ætate, prudentia ac sacrarum rerum peritia cæteris præstantiores, quos fideles penes se haberent cooperatores, et quorum consilio et opera diocesim administrarent. Hi vero non statim in communi, ut docet Thomassinus (3), vitam egerunt, sed seorsim viventes constitutis temporibus simul ad ecclesiasticas functiones conveniebant, iisque ab Episcopo certa quædam portio ex redditibus ecclesiae impertiebatur. Curantibus autem Episcopis, communem deinde vitam sub eorum directione cœperunt ducere, unam eandemque domum incolere, parique habitu ac mensa communi uti, ita ut a monachis differre non viderentur, nisi quod tria vota solemnia non profiterentur. Canonicorum et monachorum ordo et status confundi non debent; aliqui quidem ex canonicis progressu temporis, strictioris observantiæ amatores, non solum vitam communem agere, sed et tria vota religiosorum mo-

(1) Molanus de canonicis, lib. 1, cap. VI.

(2) Louvrex dissert. 1, n. 6.

(3) Vetus et nova Ecc. discipl. p. 1, lib. III, cap. VII.